

Dissertatio
inauguralis medica.
de
morborum
cura diaetetica

quam
consensu et auctoritate
Magnifici Dom. Praesidis et Directoris
Spectabilis Domini Decani

nec non
Clarissimorum DD. Professorum

pro
Doctoris Medicinae laurea

rite obtinenda

in alma ac celeberrima

Regia Scientiarum Universitate Hungarica
publicae disquisitioni

submittit

Sigismundus Koppel
Hungarus Pesthiensis.

In theses adnexas disputabitur in palatio majori
Universitatis die. Julii 1833.

Pestini,
Typis Trattner-Károlyianis.

— promptius iis succurritur, qui facile coguntur, quam
quibus inutilis libertas est.

Celsus. libr. 3 cap. 21.



S e i n e m
innigst geliebten Vater
widmet
diese Blätter
als Zeichen
der
kindlichen Liebe und Dankbarkeit

der Verfasser.



INTRODUCTIO.

Qui vitam sanam ad ultimam senectutem perducere cupit, is in cibi potionisque modo sibi imperet modereturque; testante enim historia cuncti ii, qui ob longius protractam vitam ab omnium seculorum memoria inclaruerant, nullo alio adhibito artificio, quam delicias spernendo, imo necessaria vitae valetudinisque fomenta mira frugalitate restringendo, effecerunt, ut nonnisi post centum, et quod saepe excedebat, annos, integerima valetudine transactos, ad ultimum illud, quo vita clauditur, pervenerint stadium. — Non minus verum, nec ab ullo unquam medicorum in dubium vocatum assertum est: regimen vitae diaeteticum, victus imprimitis potionisque rationem prudenter moderatam, summopere necessariam esse ad hoc, ut labefactata valetudo restitui possit. — Veritate modo dictorum probe perspecta, non tantum aevo nostrò, sed antiquissimis jam temporibus medici quidam ad eam devenierunt cogitationem, ut peculiare regimen vitae, quod vocant diaeteticum, qua remedium principale vel solum, vel paucis iisque simplicioribus simul adhibitis medicamentis, ad restituendam sanitatem aegrorum curae suae commissorum adhiberent; cum tamen non omnes eadem via incederent, hinc tractu temporum diversae enatae sunt methodi therapeuticae, in eo convenientes, quod singularum et omnium effectus, iam maiori iam minori in gradu, a praescripta vivendi ratione dependeat,

quare etiam comuni curarum diaeteticarum nomine insigniuntur; tales sunt in specie curae, quae a potu aquae communis aut aquatum mineralium, a lacte, a sero lactis, a succorum vegetabilium expressorum usu, a vernali vel autumnali tempore, quo eae insituuntur, aut ab aliis magis adhuc accidentalibus denominabantur, imprimis vero ea, quae quantitatem ciborum plus minus restringendo et qualitatem illorum adcuratissime definiendo perficitur, quaeve strictiori sensu cura per diaetam dicitur. Postrema haec constituit argumentum hujus dissertationis, in qua elaboranda prae aliis cel. Lud. Aug. STRÜVE opus singulare de hac materia (Über Diät-Entziehungs- und Hungercur etc. Altona. 1822.) secutus sum; proponam autem primo generalia curam diaeteticam omnem concernentia, dein in sectione altera praecipuas methodos hoc pertinentes specialius describere conabor.



Sectio prima.

GENERALIA CURAM DIAETETICAM CONCERNENTIA.

Cura per diaetam strictiori sensu, ut iam supra breviter memini, ea dicitur actio medica, qua statum valetudinis abnormen individui aegrotantis, imprimis quantitatem et qualitatem nutrimentorum consumendorum adcurate definiendo et determinatam vitae rationem praescrivendo, ita mutare nitimus, ut sanitas ad relativam normam educatur. Definitio haec curae diaeticae nequaquam tamen excludit simultaneum medicamentorum usum, nam ut CELSUS (libr. 5. in praef.) dicit: „Illud ante omnia scire convenit, quod omnes „medicinae partes ita connexae sunt, ut ex toto sepa- „rari non possint; sed ab eo nomen trahant, a quo plu- „rimum petunt. Ergo ut illa, quae victu curat, ali-

„quando medicamentum adhibet; sic illa, quae praecipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem „victus debet; quae multum admodum in omnibus malis „corporis proficit.“ Verum ubi in cura diaetetica medicamenta quaedam exhibentur, haec nonnisi qua remedia adiuvantia considerari possunt, remedium enim principale, a quo nimirum effectus curae omnis dependet, unice ieiunium methodice coordinatum constituit.

Est adeoque cura diaetetica, ut e modo dictis patet, alia pura, sub qua nulla exhibentur medicamenta, qualis est cura gastricismi per solum ieiunium, sublatio tertiana per largum usum aquae purae; alia vero medicamentis adiuta, quo spectant praecipue eae morborum chronicorum curae, sub quibus praeter diaetam strictiorem et nonnulla medicamenta, uti potiones diversae, praeparata hydrargyri vel stibii, inunctiones aut alia, in auxilium vocantur. Differunt porro curae diaeteticae pro maiori vel minori intensitate et extensione ieiunii praescripti, quo ex respectu cum cel. STRUVE tres gradus distingui possunt. In primo nec quantitas nec qualitas nutrimentorum nimis scrupulose definitur; iniungitur solum aegro, velit sibi a cibis concoetu difficultibus aut acribus et a potulentis calefacientibus cavere, quoad quantitatem vero absumentorum ita sibi moderetur, ut vix saturatus cesseret ab esu; hoc in gradu adhibita cura diaetetica mitior aut simplex dicitur.—In secundo gradu qualitas nutrimentorum adcuratissime praescribitur, simul non maior illorum quantitas conceditur, quam quae ad summe moderatam satietatem recte sufficit; subtrahuntur hic aegro omnia delectamenta palati, et reducitur ad nutrimenta et potulenta, quae palato illecebris adsueto raro sapiunt, unde cura talis diaetetica strictior recte cura per abstinentiam (Entzichungseur) vocatur.—In tertio gradu non tantum qualitas omnium vitae fomentorum adcurate determinatur, verum quan-

titas quoque eo reducitur, quo id absque periculo existentiae organismi fieri potest; sub hac cura diaetetica strictissima continuus adest sensus famis, nam ad sitim quidem fallendam sufficientia exhibentur potulenta, quantitas tamen nutrimentorum concessorum ad satietatem minime sufficit, unde curae huic subiectus omnino inediam patitur, quamobrem ei nomen curae per inediam (*Hungercur*) non absque causa inditur; verum cum aegri a nomine iam facile abhorreant, hinc pluribus medicis et hunc gradum curae diaeteticae curam per abstinentiam nominare placuit.

Ut quis modum perspiciat, quo curae diaeteticae valetudinem labefactatam ad relative normalem statum reducere valent, necessum est, ut subtractionis alimentorum effectus in organismum, tam primarios quam secundarios et remotiores, probe noscat. — Primus effectus inediae et omnis diuturnioris ieunii est sensus famis, desiderio cibi, ardore et dolore ventriculi se manifestans. Sensatio haec molesta pro diversa quantitate et qualitate postremo absumtorum alimentorum, ac pro diversa in organis digestoris virium exsertione, iam citius iam tardius, semper tamen tunc comparet, dum, digestione in ventriculo absoluta, contenta illius in tantum iam per tubum intestinalem proiecta sunt, ut nihil amplius restet materiei, in quam humores gastrici digestioni inservientes suam actionem chemico vitalem exsererē possent. Otium enim ventriculi et stimuli habitualis absentia, tensionem ponunt inter fibras musculares et nervos gastricos, concitantque molestum sensum, illi non absimilem, qui in musculis diu quiescentibus a virium abundantia oritur; eodem autem tempore et vasa absorbentia, ob defectum aliarum materialium, partem humorum subtrahunt, misionem eorum mutant, dein ipsam ventriculi substantiam facile aggrediuntur, quo sensus ille molestus in hoc organo, ob nervorum copiam sensilissimo, utique multum au-

getur. Restrингitur hic effectus iejunii initio ad ipsum ventriculum, mox vero propagatur per totum tubum intestinalem, tandem per universum corpus. Aucta quippe ventriculi sensibilitate et depravato humore gastrico, nervi eius organi et fibrae musculares potentius incitantur; oritur dolor intolerabilis, fastidium, vomituritio, quae et animi deliquium saepe adducunt.— Cum autem fame diu afflictus per varias excretiones solidarum et liquidarum partium ingentem patitur iacturam, quin quidpiam restitueretur, hinc omnis adeps deperditur, partes solido molles flaccidae volumine immiuuntur, ipse sanguis consumi videtur, nam vasa sanguifera fere inania deprehenduntur. Ob defectum materiae novae, inflammabilium praecipue, simul substantia organica in mistione sua depravatur, ita, ut sanguis aliquae humores spontaneam quandam acrimoniam contrahant. Denique et vires corporis per ipsius vitae processum assidue restaurandae, inedia protracta, deprimuntur, exhauriunturque. Oritur tandem febris, typhi putridi symptomatibus stipata, quae, suo modo decurrens, cito morte finitur.— Potulenta assumta, et si mera aqua sit, phoenomena nunc dicta gravia multum mitigant, funestumque inediae exitum retardant, non tamen eum impedire valent.

Cum plenaria nutrimentorum et potulentorum subtractio, ut vidimus, vix aliquo tempore absque periculo vitae perferri possit, hinc nemo medicorum eam in aegro scopo curativo tentabit, etsi ASCLEPIADES simile quid in febribus curandis fecerit; hic enim ut CELSUS (libr. 3. cap. 4.) refert: „convellendas vires aegri putavit, luce, vigilia, siti ingenti; sic, ut ne os quidem primis diebus elui sineret.“ — In cura diaetetica modernorum, etiam strictissima, cibi raro subtrahuntur longiori tempore, quam secus consuetudo aegri tulit, sed exhibentur solum selecti multo minori quantitate, simulque conceditur larga potulentorum quantitas;

quare et effectus huius longe alii sunt, ac plenariae subtractionis per longius tempus, quos supra descripsi. — Ubi nimirum aegro parca quantitas ciborum, haecque, ut fieri solet, per plures minores portiones de die exhibetur, digestione et assimilatione citissime absoluta oritur quidem sensus famis, non tamen diuturnus, cum post aliquot horas nova portio cibi assumatur. Fieri quidem potest, ut cura per longius tempus cum rigore aliquo producta, quantitas cibi concessa ne quidem pro momento temporis sufficiat ad delendam sensationem ingratam, verum et in hoc casu potulenta, pro lubitu assumpta, sensum hunc mitigant et leniunt. — Alter necessarius effectus huius diaetae est ipsius ventriculi, copia ingestorum non distenti, per contractionem vitalis imminutio, atque hinc derivanda maior energia in contèrendis ac pro digestione praeprandis cibis, quam actionem mechanico dynamicam eo facilius nunc perficit, cum omnis eius vis in parvam quantitatem singula vice ingestam dirigitur. Eadem ex causa cibi cum sucis digestioni inservientibus promptius et exactius miscentur, convertunturque in chymum et chylum bene subactum et facile assimilandum. Ob parcam chyli præparati quantitatem resorptio in tubo intestinali alacerius, et transitus lymphae per sua vasa facilius perficitur; cum vero materia hac ratione sanguini addata optimo subacta sit, hinc ea perfecte assimilatur, quo sanguinis mistio conservatur, inq melior redditur. — Ulterior effectus huius diaetae per longius tempus protractae in eo consistit, quod secretiones in genere omnes, atque hinc et eae organorum digestionis, multum imminuantur, quod imprimis adparet ex alvi excretione paulo post tarda et scyballosa; resorptio e contrario multum abest ut debilitaretur, haec enim in suo vigore persistit, imo saepe intenditur. Hoc præpondium resorptionis super secretionem, atque hinc super reproductionem imminutam, constituit propriæ effectum principalem

omnis curae diaeteticae Cum enim sanguini relative multo minus materiarum restorationi aptarum advehitur, quam pro organismi subsistentia illaesa requiriatur, natura autem conservationem organismi, quoad fieri potest, continuo moliatur; hinc per vasa resorbentia omne in corpore haerens abnorme, superfluum, aut ad integratatem organismi relative minus necessarium, prius secretum, nunc consumitur, et ad defectum sanguinis resarcendum in huius circulum adfertur. Circumstantiae huic adscribenda venit emaciatio personarum curae diaeteticae strictiori subiectarum; consumitur enim initio adeps, tardius et muscularum substantia adgreditur. — Etsi autem reproductionis decrementum initio solum in partibus minus essentialibus obveniat, nihilominus tamen, si diaeta strictior diutius aut ultra modum exagerata protrahitur, facile fieri potest, ut etiam organa et systemata organica momentosiora deficiant, sicque existentia organismi in periculum vocetur; quare medicus sub omni cura diaetetica nihil magis spectandum habet, quam reproductionis statum, secundum quem nimirum durationem et modificationes curae optime determinabit. — Effectus curae diaeteticae, nunc enumerati, utique ab extensione et intensitate, quo ea exsequitur, dependent ita, ut sub simplici seu mitiori minus conspicui fiant, sub strictissima vero intensiori in gradu compareant.

His praemissis facile perspicitur, qna ratione restricta nutritio in restituenda sanitate operetur, qui busve morbis sufferendis sufficiat. — Omnis cura diaetetica, ut vidimus, primario processum assimilationis et reproductionis adgreditur, eos imminuendo simulque corrigendo; resorptionis vigore perstante successive omnis materia organica necessario consumitur, et per novam, eamque perfectiorem, quantitate solum minore, commutatur; tolluntur adeoque stagrations humorum et infarctus, resorbentur abnormia vitae

plasticae producta, crasis normalis substantiae organicae restituitur; unde mirum non est, si sub solerti et adtenti medici gubernio morbi gravissimi, organismo interitum minitantes, curis diaeteticis non semel sublati, sanitasque durabilis restituta legitur.

In determinandis morbis curam diaeteticam exposcensibus ante omnia naturam ducem sequimur, ex casta enim et adtentâ observatione ad lectos aegrorum constat, naturam medicatrixem saepe eadem ratione morbos sufferre, quam medicus in cura diaetetica sequitur. — In omni morbo acuto, aliquantulum vehementiori, observatur adpetitus cibi prostratus, qui non raro in plenariam nutrimentorum solidiorum inadpetentiam transit, desiderium vero potus non tantum non immittitur, verum ut plurimum agetur. In simili casu natura medicatrix saepe ultra excedit, ac cuiquam medicorum in cura diaetetica etiam strictissima unquam liceret; exemplo sunt aegri e febribus gravioribus decubentes, per tres quatuorve septimanas omne nutrimentum solidum responentes. Inadpetentiam in his morbis non symptomata accidentale, sed remedium potius ad devincendum morbum a natura constitutum esse, in eo omnis aevi medici consentiunt, hinc etiam ab illis in cura morborum acutorum semper dicta strictissima commendabatur. — Eandem viam videtur natura tentare in morbis quibusdam chronicis, quamvis hic inadpetentia distincta rarius quam in acutis compareat, eamque consuetudo perversa gulosum saepe ita superet, ut observari neutiquam possit; talis est, ut plura taceam, e. g. inadpetentia et flatulentia sub accessione arthritidis periodicae, et taedium ciborum in hypochondriasi affectis. — Sunt tandem casus, in quibus salubris inadpetentiae sub morbis acutis actio in status morbosos chronicos simul praesentes extendetur. Sic inter caetera cel. STRUVE (l. c. §. 27.) narrat casum puellae decem annorum, cuius cubitum si-

nistrum inde a prima infantia herpes corticosus occcupaverat: dum haec ex ignota causa in febrim sic dictam nervosam incideret, per tres continuas septimas ab omni cibo abstinuit, sub quo tempore herpes secus pertinacissimus, perfecte disparuit, nec tardius unquam rediit; quamvis ipsa febris mitissimis solum remediis curaretur. Quod in hoc casu natura per ieiunium impositum effecit, et in milles aliis quotidie obviis efficit; id medicus quoque per curam diaeteticam saepissime praestare potest.

Praeter casus, in quibus ut diximus naturam sequimur, multi sunt adhuc status morbosi, quibus, ratione solum et experientia suadente, curam diaeteticam opponimus. — Cum cura diaetetica imprimis in maiori vel minori subtractione alimentorum, atque hinc in alleviata digestione et assimilatione consistat, hinc in morbis tubi alimentaris, ab huius opplitude oriundis, potentissimum sistit haec cura remedium, a primis artis medicae temporibus in iis adhibitum. Omnis oppletio ventriculi et tubi intestinalis, per ciborum quantitatem nimiam, aut per dyspeptorum ingestionem producta, seu ea symptomatice qua inadpetentia cibi et dolor ventriculi, seu qua cordialgia aut alio modo manifestetur, semper per diaetam strictiorem, aut solam aut paucis medicamentis adiutam, cito et tuto suffertur. In ipso illo statu morboso chronicō ventriculi, repetitos errores diaeteticos insequente, sub quo digestio in tantum labefactata est, ut ex minima etiam quantitate alimentorum, secus facile concoctibilium, illico flatulentia, sensus oppressionis, cephaea et alia molesta symptomata aegrum angant, vix melius praestato est remedium, quam cura diaetetica mitior methodus executa. — In caterva porro morborum, quae a nutritione superflua, a humorum abundantia et ab huius sequelis dependet, cura diaetetica vera panacea dici potest; sub ea enim massa organica cito imminuitur,

sic autem causa morbi sublata, ipse quoque morbus frequentissime tollitur. Ubi igitur individua bene pasta, humorum copia oppleta, ad apoplexiā disposita a symptomatibus sibi molestis, uti a cephalea, a vertigine temulentia, dyspnoea et ab aliis plethorae sequelis liberari cupiunt, sufficiet, si sanitati suae consulentes se ad diaetam tenuem parum nutrientem restrinxerint. Simili modo et in illis morbis chronicis, qui ob continuum humorum plasticorum impropportionatum, augmentum sanitate universa gravius affecta enascuntur, uti in arthritide universali aut in podagra, in cephalea chronica, in vertigine, apoplexia, in malo haemorrhoidali et similibus, ex hac causa ortis, diaeta strictissima pro se aut aliquibus medicamentis adiuta praesentaneum est remedium. Verum medico diaetam strictorem praescribenti nullibi maiora ponuntur impedimenta, quam in morbis nunc dictis, cum plurimi huiusmodi aegrorum deliciis et illecebris palati, quibus asuerunt, valedicere nequeant nolintque. — Frequentissimus autem curarum diaeteticarum usus fit in morbis a dyscrasia humorum provenientibus, imprimis autem in horum formis chronicis, sic in ulceribus chronicis, in herpete maligno exedente, in arthritide inveterata, in leucorrhœa maligna, in scrophulosis, in syphilide, et in lepræ formis diversis recentiori tempore iterum frequentius obviis. In omnibus his formis morborum diaeta strictissima ad inediām usque intensa, experientia quotidiana testante, miros producit effectus. — Quid possint curae diaeteticae in scirrho, cancro, aliisque productis abnormibus vitae plasticae, id ex experientia nedum constat; multum tamen ab iis sperari posse, earum prius expositus agendi modus abunde docet.

Restat adhuc, ut cautelas, sub cura diaetetica strictiori preeprimis necessarias, breviter exponam: Hinc
1. quamvis sensus famis, sub hac cura necessario pree-

sens, de régula potulentis mitetur; nihilominus tamen saepe sensus hic fit intolerabilis, et ad eum increscit gradum, ut omnino vitae periculum instet. Aegri in hoc casu omnibus illis excruciantur symptomatis, quae per diurnam inediā produci superius dixeram, utpote sensu illo intolerabili famis, ardore et dolore ventriculi vehementer, vomiturationibus dolorificis et inanibus, quibus non nisi parum bilis et muci eructatur, tandem accedit virium deiectio summa. Sub talibus circumstantiis medicus a cura incopta desistere debet, nisi se homicidii réum facere velit. Addet igitur quotidie alimentis maiorem portionem, eamque subdivisam frequentius et post minora intervalla aegro exhibebit, Verum

2. Ubi etiam famis deleteriis hic effectus non fit conspicuus, aeger tamen repente et nimium emaciatur, pulsus et respiratio multum retardatur, posterior simul brevis, anhelosa et anxia sit, ibi quoque absque mora necessum est curam interrumpere, aut ad minus ad miorem gradum reducere. Pulsus quidem sub omni strictiori diaeta, e causis facile perspiciendis, retardatur, ex experientia tamen constat, eum ad pauciores quam 35 ictus per minutum primum absque periculo vitae vix imminui.

3. Caveat sibi aeger per curae tempus ab omni refrigerio, ne cutis functio restringatur aut plane supprimatur. Aegri quidem ipsi ut plurimum calorem quaerunt, imminuto enim nutritionis processu in organismo sensus frigoris producitur; maioris tamen securitatis causa praestat aegros sub strenua inspectione in cubili, atque in atmosphaera ad 17° usque 20° R. temperata continere, et non nisi diebus aestivis fervidioribus serenis sub meridiem ustum liberi aëris concedere.

4. Ut finita cura convalescens indigestionis periculum evitet, oportebit eum successive, parvas quotidie por-


tiones prioribus addendo; ad normalem quantitatem
nutrimentorum asuefacere.

5. Notandum, quod infantes et in genere iuniores fa-
mam minus ferant, quam adulti, e contrario feminae
et senes minus ab ea adficiantur, quam viri.

Sectio altera

PRAEcipuarum curae diaeteticae methodorum

SPECIALIS EXPOSITIO.

Quamvis medici antiquiores Graeci in omnibus tam acutis, quam chronicis morbis determinatam, et scopo convenientem vitae rationem atque diaetam diluentem summi haberent, impensisimeque commendarent, et quamvis HIPPOCRATI vis famis medica per bene nota fuerit, ut e pluribus eius operum locis patet; nihilominus tamen systematice executae curae diaeteticae nullum in illius scriptis invenimus exemplum. Methodicae scholae, ab Asclepiade fundatae, et a Themisone Laodiceo ac Thessalo imprimis exultaes, sectatores absque dubio primi fuerant, qui methodice imminutam nutritionem, qua remedium in diversis morbis adhibuerant. Hi nimirum ut CELSUS (lib. 1. in praef.) refert: „sub auctore, ut ipsi videri volunt, Themisone, contendebant, nullius causae notitiam quidquam ad curationes pertinere, satisque esse quaedam communia morborum intueri. Et quidem horum tria genera esse, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mixtum. Nam modo parum excernere aegros, modo nimium; modo alia parte parum, alia nimium.“ Huic theoriae morborum convenienter et therapiam suam

coordinarunt: in statu stricto relaxantem, in relaxato adstringentem, in tertio vero seu mixto peculiarem adhibuerunt methodum, quam illi **re corporatio nem** graece μετασύγκρισιν, aut supponendo quod per eam turbata atomorum ad poros proportio ad normam restituatur μεταποροποίηση nominarunt, praemittebatur autem ei methodica praeparatio aegri, cyclus resumtivus, graece κύκλος ἀναληπτικός dictus. — Hanc methodum curandi, quae cum cura diaetetica strictiore modernorum in multis convenit, atque in iisdem fere morbis chronicis adhibebatur COELIUS AURELIANUS (de diutur. lib. 1. cap. 1.) sequenti modo describit:

„Est autem resumptivi cycli ordinatio formanda hoc modo. Prima die parvo cibo atque aqua nutritus „aegrotans, vel si ferre valuerit, ab omni nutrimento „abstentus, alia die levi motu erit exercendus, atque „oleo perungendus, tunc et cibo nutrientius, id est: „ut tertiam panis accipiat, partem solitae quantitatis, „quam facile percipere atque digerere solebat. Sed „panem dabimus limpidum, fermentatum; pulmentum „autem ova, vel holerum betas, aut cucurbitas, vel „malvas, aut lapathos, aut bulbos vel pisces teneros, „ut sunt: scari, aselli, iulides, vel aviculas, ut sunt: „turdi, ficedulae; vel cerebrum porcinum aut hoedini, „in hac perseverantes qualitate atque quantitate, duabus vel tribus diebus, juxta virium possibilatem quo neque parva dando debilitentur, neque „adjectionibus perturbati opprimantur. Tum detracti „panis partem tertiam adjicientes, pulmentum damus „turorum, ficedularum, aut ex pullis columbarum „vel gallinarum. Tum rursum post tres vel quatuor „dies aliam tertiam partem panis adjiciemus, et agrestia dabimus pulmenta, ut leporis, aut capreæ, „atque ita aequali numero dierum peracto, ultimam „partem panis addemus. Pulmentum dabimus porcini, „tenerum, ex aqua, vel non curiose conditum

„ex aneto et sale. Praeterea simili modo erit etiam
 „vini facienda partitio, atque per singulos pulmento-
 „rum mutationes adjectio: ac si plus aegrotans bibe-
 „re, quam damus, voluerit, aquam suminat. Simili
 „modo etiam gestatio atque exercitum sive motus erit
 „augendus aut imminuendus ad comparationem quan-
 „titatis ciborum. — Perfecto resumptivo cy-
 „clo erit metasyncreticus adhibendus,
 „primo ex parte, dehinc perfectus. — Prima igitur die
 „erit cibo abstinentia aegrotans: tum alia die parva
 „adhibita gestatione, atque unctione corporis, vel si
 „passio permiserit, lavacro, rursum dabimus panis ter-
 „tiam partem solitae quantitatis, quam ante initum
 „curae facile accipere atque perferre solebat. Pulmen-
 „tum dabimus salsum assum vel tostum: dabimus etiam
 „cappares sinapi madidatas, atque olivas ex viridi oli-
 „vitate messas, quas columbades vocant, praecaventes
 „ea, quae facile caput implent atque gravant, ut est
 „porrum, allium, cepe. Potui dabimus vinum, et si per-
 „ferre valuerit aeger, in iisdem duobus vel. tribus per-
 „severabimus diebus: sin minus, secunda die salsa mentis
 „ad miscenius cerebrum vel piscem. Tunc sequenti die
 „panis detracti partem tertiam addimus: pulmentum
 „damus holus, cerebrum, piscem tenuem, hoc tribus
 „vel quatuor servantes diebus. Tum rursum aliam ter-
 „tiam partem panis addentes, transimus ex mediae
 „qualitatis materia ad volantum qualitatem, atque in
 „eadem simili dierum numero perseverantes, ultimam
 „partem panis addimus: pulmentum dabimus porcinae
 „carnis. Sed si multas mutationes facere voluerimus,
 „in quatvor partes medietatem panis dividimus, ut sin-
 „gulas singulis pulmentorum mutationibus adiiciamus:
 „hoc est, unum mediae qualitatis materiae applicantes,
 „aliam volantum, aliam agrestium, aliam porcinae car-
 „nis. Sed ne quid odiosum e quantitate multorum die-
 „rum fiat aegrotanti, hoc est, pulmentorum similis ob-

„latio , erit in communi qualitate specierum diversitas
 „varianda , ut quibus diebus salsamentum , ad eius mo-
 „dum et ordinem , damus , Graeci drimyphagiam
 „appellant , eiusdem speciem variemus : nunc exempli
 „causa , cum pisces damus , sardam , nunc scarum ,
 „nunc cordulam : atque ita in usu mediae materiae ,
 „quam mesen hylen appellant , nunc turdos , nunc fice-
 „dulas , sive quas miliacas vocant , nunc columbarum
 „pullos , ac gallinarum . Hoc denique etiam in aliis qua-
 „litatibus pulmentorum , sive materiarum erit servan-
 „dum , ut eiusdem virtutis pulmenta specierum muta-
 „tione varientur . Erit praeterea pomorum quiddam ad-
 „iungendum , quod inflare non valeat , sed tempore quo
 „porcina uteatur , erunt etiam olera offerenda : solum
 „que id servandum , ne modum quantitatis excedamus ,
 „sive qualitatem rerum datarum . Augetur enim obla-
 „tio non solum si plurima fuerit diversarum specierum ,
 „sed etiam si plus nutritre valuerint . In omni igitur muta-
 „tione , hoc est transitu ex qualitate ad qualitatem , prima
 „die oportet curandum aqua vivere , adhibita perunctione .
 „In aliis vero diebus etiam vinum accipere , et lavacro
 „corpus recurare , sed non omnibus necessario diebus :
 „siquidem facile caput iugi lavatione ad passionis vesti-
 „gia revocetur . Similiter autem oportet etiam motus
 „corporis augeri atque minui . — Tunc isto cyclo per-
 „fecto erit alias adhibendus solo ex vomitu , detracta
 „drimyphagia : in quo oportet prima die in parvo cibo ,
 „et aquae potu aegrotantem servare : tum alia die post
 „lenis deambulationis motum , vomitum exagitare , ex
 „radicibus raphani , vel ex similibus speciebus , si loci
 „aut temporis causa defuerit radicum copia . Oportet
 „igitur etc . (describit modum his substantiis vomitum
 ciendi , cautelas sub et post vomitum .) — „Dehinc alia
 „die lavacro uteatur , atque pulmento mediae qualitatis .
 „Tum post duos vel tres dies caeteras cycli partes adhi-
 „bemus . Ac si radices loci aut temporis causa defue-

,;rint, adfectandus ordine supradicto vomitus ex granis
 „sinapis madidati, vel ex liquidi sinapi poto, aut mulso
 „ex aceto et pipere confecto, vel cardamomo, aut cru-
 „cae semine, aut decoctione thymi, vel origani, aut
 „hyssopi, aut salsamentis et multis offis, cum aceto,
 „vel mulso ex aceto. Tunc profectu cedente, atque lim-
 „pido linimento perspecto, praesumpto etiam aegro-
 „stanti ingravescentem perferre num vomitum possit,
 „num drimyphagiam, audemus integrum atque perfec-
 „tum cyclum metasyncticum adhibere, ut initium a
 „vomitu sumentes, drimyphagiam jungamus, ac deinde
 „per ceteras cycli materias decurramus. Ordinamus
 „praeterea localia adiutoria etc.“ — Drimyphagiam
 vero seu victum acrium, quo proprie metasyncrisis
 perficiebatur, uberius (de diut. lib. 3. cap. 2.) sic ex
 plicat: „dehinc adhibenda recorporatio quam Graeci
 „metasyncriticam vocant, ex acriori cibo, quem
 „Graeci drimyphagiam appellant, ex aqua et capparibus
 „confecto, et aceto, et sale, et cepe: sed et ex depo-
 „sitis, quae temporis requie, nullo accepto marcore,
 „inflabilis virtutis careant qualitate. Dandae etiam rap-
 „pae sinapi madidatae, atque salsamentum ex aceto
 „et oleo conditum: vel aceto, et mulso, et sinapi:
 „aut mulso et vino confecto: quae quidem erunt vari-
 „anda. Adminiscendum etiam piper pro ratione virium,
 „atque passionis magnitudinem, ut nunc uno, nunc
 „duobus, nunc tribus acribus pulmentis utatur.“

CELSI tempore methodus metasyncritica, modo
 descripta, videtur vix adhuc in usu fuisse; quamvis
 enim ille ut plurimum scholae methodicae praecepta se-
 quitur, non tamen eam adperte describit, imo nequi-
 dem nominat, similem tamen in multis morbis propo-
 nit curam. Sic in ictero (libr. 3. c. 24.) praescribit:
 „Primo die abstinere aegrum oportet: secundo ducere
 „alvum: tum, si febris est, eam victus genere discu-
 „tere: Si non est scamoneam potui dare, vel cum aqua

„mulsa nuces amaras, apsinthium, anisum, sic, ut
 „pars huius minima sit. Asclepiades aquam quoque sal-
 „sam, et quidem per biduum purgationis causa bibere
 „cogebat, iis, quae urinam movent reiectis. Quidam
 „superioribus omissis, per haec, et per eos cibos, qui
 „extenuant, idem se consequi dicunt. Ego utique, si
 „satis virium est, validiora; si parum imbecilliora au-
 „xilia praefero. Si purgatio fuit, post eam triduo pri-
 „mo modice cibum oportet assumere ex media materia,
 „et vinum bibere Graecum salsum, ut solutio ventris
 „remaneat; tum altero triduo validiores cibos, et car-
 „nis quoque aliquid esse, intraque aquam manere: de-
 „inde ad superius genus victus reverti, cum eo, ut
 „magis satietur; omissa Graeco vino bibere nigrum
 „austerum, atque ita per haec variare, ut in-
 „terdum acres quoque cibos interponat, interdum ad
 „salsum vinum redeat. Per omne vero tempus uten-
 „dum est exercitatione, fricatione, et, si hiems est
 „balneo; si aestas, frigidis natationibus: lecto. etiam,
 „et conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lascivia, aliis,
 „per quae mens exhilaretur, ob quae regius morbus
 „dictus videtur. Malagma quoque, quod digerat, super
 „praecordia datum prodest; vel arida ibi fucus imposita,
 „si iecur aut lienis affectus est.“ — Similem porro
 curam suadet in epilepsia (libr. 3. cap. 23.) dicens:
 „ubi concidit aliquis, si nulla nervorum distentio ac-
 „cessit, utique sanguis mitti debet: si accessit, non
 „utique mittendus est, nisi alia quoque hortantur. Ne-
 „cessarium autem est, ducere alvum, vel nigro vera-
 „tro purgare, vel utrumque facere, si vires patiuntur:
 „tunc caput tondere, oleoque et aceto perungere;
 „cibum post diem tertium, simul ac transiit hora, qua
 „concidit, dare. Neque sorbitiones his aut alioqui mol-
 „les et faciles cibi; neque caro, minimeque suilla con-
 „venit; sed mediae materiae: nam et viribus opus est,
 „et cruditates cavendae sunt. Cum quibus fugere opor-

„tet, solem, balneum, ignem, omniaque calefacentia :
 „item frigus, vinum, venerem, loci praecipitis con-
 „spectum, omniumque terrentium, vomitum, lassitudi-
 „nem, solicitudines, negotia omnia : et ubi tertio die
 „cibus datus est, intermittere quartum, et invicem al-
 „terum quemque ; eadem hora cibi servata, donec
 „quatvordécim dies transeunt. Quos ubi morbus exces-
 „sit acuti vim depositus : at si manet, curandus iam ut
 „longus est. etc.

Decedente Schola methodica et methodus meta-syncritica oblivioni tradita fuisse videtur; nam post COELIUM AURELIANUM, unum ex ultimis hujus sectae asseclis, nulla amplius occurrit illius, aut ei similis curae, mentio. — Saeculo tantum 16 HIERONYMUS MERCURIALIS (libr. 3. ep. 24.) et THEODORUS PRISCIANUS (libr. 1. ep. 14.) contra physconiam abdominalem optimo iterum cum effectu curam diaeteticam emaciantem adhibuerunt. FERNELIUS quoque (de morb. causis lib. 1. pg. 139.) eam bene novit atque in syphilide impensis adhibuit. — Eodem fere tempore innotuit ULRIC AB HUTTEN restitutio ex syphilide, qua ille diutissime affectus erat. Curae methodum, cui ille sanitatem debebat, in proprio libello (de guaiaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519.) descriptis; in hac certo diaeta strictissima, quam aeger observavit, princeps erat remedium, quod per diaphoreticam vim concentrati decocti guaiaci simul assumti adiuvabatur. Cura haec, aliquo tempore summis elata elogiis, tardius, ut videtur, immerito negligebatur; ultimus eius panegyrista videtur fuisse ERN. ANT. NICOLAI (Bemühungen in den theor. und prakt. Theile der Arzneiwissenschaft, 68 Stück, Halle. 1749. S. 792.), hic eam sequenti modo proponit: Libra una ligni guaiaci rasi per 24 horas in octo libris aquae fontanae maceratur, dein coquitur, sub frequenti agitatione, igne leni, per circiter sex horas ad consumtionem dimidii, colatura dicitur Detum

primum; residuum excoctum lignum adhuc semel cum octo libris aquae coquitur ut prius, quod dein decoctum secundum praebet. Ante quam cura inchoatur, aegro pro circumstantiis vena secatur, vel purgans exhibetur. Sic praeparatus aeger absunit mane et post meridiem libram semis aut, quod melius, libram integrum decocti primi tepidi; ante meridiem in lecto debet se continere, ut leniter sudet; post meridiem poterit iu cubili obambulare. Quatuor vel quinque diebus sic transactis, debebit non tantum mane sed et post meridiem post absuntum decoctum per aliquot horas sudare; sinu et quantitas decocti successive augenda, aut dosis dicta saepius quam bis de die absumenta erit. Pro potu ordinario utatur decocto secundo, nec bibat unquam vinum vel cerevisiam. Evitet porro cibos pingves, salsos, aut multum nutrientes, et vesicatur solum carne macra bene assata, pane biscocco, uvis passis, iure ex aqua parato (*Wassersuppe*); nec ex his plus absumat, quam recte pro sustentanda vita requiritur. Conclave sit moderate calidum, ut transpiratio continuo sustentetur. Denique habeatur ratio alvi evacuationum. Hoc modo cura per quatuor septimanas aut pro circumstantiis et longiori tempore producitur. Finita cura caveat sibi reconvalescens adhuc aliquo tempore a libero aere, et observet ultro quoque diaetam moderatam. — Curam hanc guaiacinam, a medicis oblitam, plebs Holsatica, ut cel. STRUYE (l. c. p. 32.) refert ad modernum usque tempus in diversis morbis chronicis imprimis in malis arthriticis, syphiliticis et pseudosyphiliticis, miro saepe effectu adhibet, ita ut medicorum quoque eius regionis attentionem excitaverit, qui nunc pari ratione eius usum capiunt.

Sub fine saeculi 17mi et initio 18vi FRIDERICUS HOFFMANN vir ingenii sagacitate, scientia ampla et praxi felici ita excellens, ut neminem eius temporis medicorum habuerit parem, observatione ad lectos aegro-

rum de utilitate diaetae strictioris et ipsius famis edoctus
 curam diaeteticam iterum impensissime commendavit.
 (Diss. de inedia, magnorum morborum remedio. Ha-
 lae. 1698. et Diss. de inaediae noxa atque utilitate.
 Halae. 1739. et Gründliche Anweisung, wie ein Mensch
 durch vernünftigen Gebrauch der Leibesbewegungen und
 Mäßigkeit, wie auch Vermeidung einer ungesunden und mit
 schädlichen Dämpfen angefüllten Luft seine Gesundheit erhalten
 und sich von schweren Krankheiten befreien kann. 5ter Theil.
 Halle. 1719. S. 400 - 480. - Praeterea in multis locis
 suae Medicinae rationalis systematicae, et in Diaete-
 tica, etc.). Distinxit ille diaetam emaciantem seu cu-
 ram per abstinentiam, et curationem per inediā. Pri-
 orem (op. Tom. IV. Pars V. pg. 204 et 205) sic de-
 scribit: „Interdum evenit, ut corpora nonnulla, in qui-
 „bus plethora magis serrosa peccat, quam sanguinea,
 „copiosam sanguinis missionem aegerrime ferant. Quare
 „tunc aliud mire decet consilium, et si nimia ali
 „mentorum voracitas, ut saepissime fit, primam mali
 „causam et originem dedit, curam per abstinentiam
 „commendare, optimisque regulis adornare. In eo au-
 „tem quam maxime utilissimae huius curae consistit
 „methodus, ut aegri ab omnibus carnibus pinguibus,
 „elixis et glutinosis, ut sunt porcinae et bovinæ a lac-
 „ticiniis omnibusque inflantibus et multum alimoniae
 „praebentibus abstinentio, carnibus magis assatis et
 „levioribus, ut sunt avium, perdicum, gallorum, co-
 „lumbarum etc. paneque biscocto utantur, interpositis
 „nonnunquam, ad alvi lubricitatem conservandam, uvis
 „maioribus passis, prunis Damascenis coctis, pomis
 „Borstdorffianis et huius generis aliis lubricantibus.
 „Quoniam tamen nocere solet quaeviis subitanæa vic-
 „tus mutatio, ita instituenda erit haec inediae mede-
 „la, ut ne simul ac semel, sed paullatim potius, et
 „quasi per gradus aegri a pleniore victu ad tenuem et
 „parciorem descendentes huic sensim sine damno a-

„svefiant, eamque pro circumstantiarum ratione per ali-
 „quot dies, vel septimanas continuent. Quod monitum
 „haud minus necesse est cura finita, ne subito ad ple-
 „num victum denuo adscendamus.“ Huic curae emaci-
 anti ille nonnunquam purgans balsamicum conveniens
 inter ponere solebat (Tom. IV. Pars. II. pg. 483.). —
 Curatio vero per inediam, ut ille ipse (Tom. IV. Pars.
 IV. pg. 121.) dicit, consistit in eo, „ut aegri non-
 „nisi modico panis biscocti carnisque assatae cum pas-
 „sulis vescantur, vinum, omnemque cerevisiam fugiant,
 „et decoctum ex sarsaparilla, glycyrrhiza, passulis,
 „semineque foeniculi bibant: cui pro corporis ratione
 „per tres et ultra bebbomadas insistendum.“ Et alio
 loco (Tom. IV. Pars. IV. pg. 166.): „Primo omnium
 „purgato probe corpore et sanguine per venae sectionem
 „evacuato, ab omnibus iusculis pinguibus, ovis, pi-
 „scibus, carneque cocta abstinere iussi, et nihil quo-
 „tidie carnis praeter eam quam libra dimidia ponderat
 „portionem assatae cum viginti aliquot passulis ex-
 „cinatis et prunis coctis admisi. Dein loco panis panem
 „biscoctum et pro potu consuetò decoctum chiae, gra-
 „minis et sarsaparillae bibendum commendavi; quo ibi-
 „dem singulis diebus mane ad aliquot patellas calide
 „hausto corpus ad blandum in lecto sudorem compone-
 „re deberet.“ Simili modo aegro pastaceo pingui scor-
 buto dentium vehementi affecto, svasit (Tom. IV. Pars.
 V. pg. 55.) „ut per mensem et ultra cura per abstinen-
 „tiam sive inediam hoc modo uteretur: Praemissa ve-
 „naesectione, alvique sordibus per infusum vinosum ex
 „rhabarbaro, radice ari, pimpinellae, cichorei, agarico
 „trochiscato, corticibus attrahitorum et passulis con-
 „fectum leniter evacuatis, in refracta portione carnes
 „magis assatas, quam coctas, panemque biscoctum
 „debuit comedere, iuscula pinguiora, aliaque nutrien-
 „tia vitare, et potui ordinario decoctum ex rasura li-
 „gni sassafras, lentisci, radicis cichorei et pauxillo cin-

„namomi substituere, idemque ad lenem sudorem ma-
 „vendum, calide in lecto haurire.“ — Adhibuit ille hanc
 curationem in morbis, secundum illius temporis syste-
 ma pathologicum humorale, sic dictis humorum, adeo-
 que in plethoris, in serosa humorum colluvie, et in
 omnibus illis formis, quae ex his resultant; nec sine
 effectu, quod ex sequentibus illius verbis (Tom. IV.
 Pars. V. pg. 57.) patet „et certe, si dicere licet, quod
 „res est, ego in diurno, et nunc quinquaginta annos
 „superante artis exercitio summe rebellium, nullaque
 „medicina domandorum affectuum curationes per Dei
 „gratiam sola hac methodo diaetetica absolvi.“ Repe-
 riuntur in illius scriptis innumeris casus diversissimo-
 rum morborum hac methodo sanatorum; sic profuisse
 legimus hanc curationem in inveteratis rheumaticis
 arthriticis, et catarrhalibus affectibus, in podagra, in
 apoplexiae instantis symptomatibus, porro in baryecoia,
 in cataracta, in gonorrhœa, in scorbuto, in purpura,
 in efflorescentiis cutaneis pustulosis et pruriginosis,
 tandem in ulceribus malignis phagadaenicis ac in syphi-
 lide, sub cuius cura tamen simul hydrargyri usum fa-
 cere consuevit... (Conf. Ej. Op. Tom. IV. Pars. II. pg.
 519. — Pars IV. pg. 96. 121. 166. 481. 555. — Pars V.
 pg. 55. 133. 161. 204. 261. etc.)

Ab cel. HOFFMANNI temporibus usque ad finem fere
 saeculi prioris, adeoque per quinquaginta fere annos,
 neminem invenimus, qui curam diaeteticam strictiorem
 morbis opposuisset; hoc vero tempore FR. CHRIST.
 WINSLOW, Professor Chirurgiae et practicus Hafnien-
 sis eam iterum oblivioni eripuit et frequentissime in
 usum traxit; cum tamen ille ipse suam methodum nun-
 quam descripserit, hinc de ea nonnisi testimonia illius
 discipulorum exstant. Primus omnium de ea publice re-
 tulit FR. LUDOV. BANG, qui (Prax. med. Hafniae. 1789.
 p. 575.) sequentibus utitur verbis: „nuperiore tempore
 „contra ulcera et efflorescentias cutis chronicas omnis

„generis, nec non affectus doloresque syphiliticos, aliis
 „remediis non tollenda, iuvavit, et multiplici experi-
 „mento, praesertim a cel. nostrō Prof. Chirurgiae Wins-
 „lovio instituto, probata est sequens medendi métho-
 „dus: Loco omnis cibi pro prandio carnis non pīnguis
 „coctae aut assatae, unciae duae cum aequali parte pā-
 „nis; pro coena qualitas et quantitas alimenti eadem:
 „Loco omnis potus decoctum, nycthemere consumen-
 „dum, paratunque ē radicis sarsaparillae aut chīnae
 „uncīis duabus cū aquae simplicis libris quinque ad
 „remanentem partem dimidiam: Atqūe demum pilulae
 „ex extracto cicutae ad grana sex mane et vespera su-
 „mendae. Spatio sex heptadārum haēc medela optatum
 „effectum praeſtarē solet.“ — Post mortem Winslovi
 methodus haēc, Hafniae iterum oblivioni tradita, per
 Chirurgum OSBEK ad Sveciam translata, et per ERN.
 HÉNR. STRUVE, Neomonasteriensem tardius Flenopolit-
 tanum Physicum, in Holsatia frequentissime adhibita
 fuit.

CAROLUS GUSTAVUS OSBEK, discipulus Winslovi,
 tardius Chirurgus nosocomii Wadstenae in Svecia, mē-
 thodum magistri sui aliquantum modificavit. Exhibituit
 ille aegris per priores sex hebdomadas quotidie uncias
 quinque carnis macris assatae et uncias sex panis aqua
 emoliti, ita, ut hūs dīmidium ad prāndium, residu-
 um ad coenam absumerent. Si quem fames a coena
 unius usque ad prāndium alterius diei vēhementius
 urgeret, ei panis et caro in tres portiones divisa ter
 de die, aut portio integra uncia una carnis aucta por-
 rigebatur; rarissimi erant casus, in quibus illico ab
 unciis sex carnis curam inchoavit, et eam quantitatē
 omni septimana uncia una auxit. Pro potu dedit aegris
 decoctum, ex unciis duabus radicis chīnae cū libris
 quatuor aquae ad remanentiam librarum duarum cū
 dimidia paratum, quotidie absumentum; cui haēc quan-
 titas nō sufficit, ei aut decoctum magis dilutum, aut

eiusdem radicis chiae decoctione altera obtentum liquidum porrexit. In locum pilularum ex extracto cicutae, quas Winslov mane et vesperi ad grana sex sumendas praescripsit, substituit OSBEK extractum chaerophylli sylvestris, cui ille omnem curae effectum tribuerat, cum sibi ex experientia constare videbatur, pharmacopolas Hafnienses in locum citutae aquatica (cuius proprie extractum Winslov praescripserat) ut plurimum chaerophyllum sylvestre collegisse. Absoluta tertia hebdomada extractum chaerophylli non nisi vespere, mane autem pilulam unam, ex hydrargyro muriatico' corrosivo sec. Plarm. Svecicam paratam, exhibuit. Finis sextae hebdomadae erat terminus primi cursus huius curae; aeger priori vitae rationi commissus e cubili, cui huicdum inclusus erat, ea cum adhortatione dimittebatur, velit sibi solum a potulentis calefacientibus quam maxime cavere. Si malum per curam hanc nedium sublatum fuisset, post tres septimanas rursum inchoabatur nova, iterum per sex hebdomadas durans, pari prorsus ratione ut prior exseuta, solum pilula mercurialis ultimis tribus septimanis exmissa. Ubi corpus aegri ulceribus latis malignis obiectum invenit, ea linteo carpto aqua mercuriali nigra (e dr. calomel. et libr. una aquae calcis) humectato diligavit; depuratis ulceribus rad. chiae decoctum, in cuius libra una unciae duae myrrhae solutae erant, pro deligatione adhibuit; cicatrisationem autem inchoantem deligatione e dococti rad. chiae libra una cum uncia una extracti saturni adiuvit; — ulcera minora penitus naturae commisit. — Haec curae methodus ab Osbekio qua novum inventum promulgatum, anno 1811 adtentionem gubernii svecici in se traxit, denominata adeoque sic dicta Commissione regia, sub huius inspectione provocatus Osbek in regio Holmensi Lazaretho de Seraphis nominato in aegris pluribus syphilide inveterata affectis methodum suam eo cum ef-

fectu adhibuit, ut ei, in sequelam favorabilis desuper relationis, honorarium 3000 Rthl. Swed. Bco. (circiter 3000 fl. m. Conv.) et annum stipendium 500 Rthl. a regimine resolveretur, simul methodus ipsa publici iuris facta omnibus Sveciae medicis impensisime commendaretur. — Abhinc ea in Svecia frequentissime adhibita et a multis crisi subiecta fuit. Resultatum omnium investigationum et ventilationum breviter in sequentibus consistit: methodum Osbeki non esse novum, sed eam Winslovi in accidentalibus quibusdam solum modificatam; curae effectum non dependere ab extracto chaerophylli sylvestris, valde inactivi, sed unice imminutae nutritioni attribuendum esse; eam imprimis efficacem esse in syphilide inveterata, hydrargo-ro incassum tractato, minus prodesse aut plane nocivam in affectionibus primariis syphiliticis; nullum denique remedium ei praestare in morbo illo pseudosyphilitico, quem Norwegiae incolae Radesyge et Spedalskhed nominant. Confirmantur haec omnia per insignem numerum vix unius lustri tempore, a diversis Sveciae medicis hac methodo sanatorum, qui mille longe superat. (Conf. Osbek, Fullständig Uppgift af min brukode Kurmethod emot urortade veneriska Spikdomer. Uta af Osbek. Stockholm. 1811. — Schweiger in Huffl. Journ 1817. St. 6. S. 75. — Observationes in diaetam parcam vulgo Swälkur. Präside Thunberg, auctore Schulcz. Upsaliae 1812. — Svenska Läkare-Sällskapets Handlinger 1 Bd. et seq. extractum in Salzbg. med. chir. Zeitg. 1816. 1 Bd. S. 268., 3 Bd. S. 122., 4 Bd. S. 60 et 136.; 1818. 2 Bd. S. 392.)

Longe prius quam Osbek suam methodum promul-gaverat, E. H. STRUVE eandem, a Winslovio magistro perceptam, in Holsatia Neomonasterii tardius. Flenopoli in ducatu Slevicense contra syphilidem et illum Holsatum morbum pertinacissimum, qui Dithmarsicus (Marschfrankheit) dicitur, felicissimo cum suc-

cessu adhibnit. Hic a Winslovi methodo in eo solum recedens, quod aegris in locum carnis assatae vitulinam coctam, et pro potu merum semper decoctum radicis chiae exhibuerit, amplas suas observationes de efficacia huius curae, praematura morte in maximum scientiae et artis detrimentum ex hac vita eruptus, mundo literario communicare non poterat. Tardius LUD. AUG. STRUVE, qui inde ab anno 1815 praxim in Holsatia Elmshorni exercet, fratri exempli permotus multiplicia cum cura diaetetica experimenta instituit, quae dein in opere eximio, saepius iam nominato, descriptis. Triplicem ille gradum curae diaeteticae, ut iam diximus distinguit: mitiorem seu simplicem, strictiorem seu curam per abstinentiam, et strictissimam seu per inediam. — In mitiori aegro interdicit usum carnis, lardi et omnis pinguedinis, aceti, cerevisiae, vini, cremati, ita etiam potum cassae et esum omnium fructuum horaeorum et olerum; concedit cibos lacteos, panem non recentem, cibos farinaceos, dummodo sint bene excocti non glutinosi, ius carnis vitulinae, infusum herbae theae et similia. Scopus huius diaetae propriae est assimilationem corrigere, non tamen reproductionis processum debilitare; hinc sufficiens quidem conceditur quantitas nutrimentorum, eius tamen qualitatis, ut ex illis chylus purus, facile assimilandus, oriri possit. Cura haec diaetetica mitior ut plurimum medicamentis statui individuali convenientibus adiuvatur, imprimis si ea morbis chronicis opponitur. Adhibuit eam cel. Struve in Syphilide inveterata, et in morbo Dithmarsico, vel iunctim cum cura mercuriali, vel solum cum decoctis lignorum et purgantibus, multosque sic sanavit aegros. — Curam cum abstinentia sequenti modo instituit: mane babit aeger duabus phialis potum theatum, huic additur frustillum panis albi, quod vel sicce, vel sirupo aut butyro recenti insulso per punctum consumit; pro

prandio accipit pulmentum fogopiraceum aut avenaceum (Buchweizen = oder Hafer = Grütze) vel ius tenuë vitulinum, addito frustillo panis siccii; postmeridiem iterum absumit duabus phialis potum theatum cum frustillo panis; pro coena eadem exhibentur, quae in prandio, sed minori quantitate. Omnis alter cibus aegro substrahitur, injungiturque ei, ut concessis non-nisi ad summe necessariam satietatem utatur. Therapia reliqua circumstantiis adcommodatur. Struve in hac cura aut pilulas ex cicuta et decocta lignorum dedit, aut sequentem pulverem praescripsit.

Rp. Aethiopis antim. dr. duas,

Pulg. stip. dulcam. dr. tres,

— rad ialappae dr. unam cum dimidia

— cort. aurant.

— sem. foenic. aa dr. unam.

M. f. pulv. Sig. Bis — quater de die uno cochleari coffeaceo sumendum;

ubi dein simul decoctum lignorum pro potu, et omni octava die purgans drasticum adhibuit, quem agendi modum in efflorescentiis herpeticis, arthriticae aut leprosae originis, efficacissimum esse deprehendit. Saepe et hanc diaetam, in modo dictis morbis, coniunxit cum cura guaiacina, sequenti modo instituta: Fit decoctum specierum sequentium

Rp. Cort. lign. guaiac.

Ligni guaiaci aa Unc. tres.

Rad. sarsaparillae

— chiae nod. aa Unc. duas,

— liquiritiae

Sem. foenic. aa Unc. semis,

Fol. sennae Unc. unam.

Conc. misce.

hae nimirum species cum libris sex (3 Kannen) aquae decoquuntur ad consumtionem dimidii, quo facto liqui-

dum percolando defunditur, et asservatur qua decoctum primum; residuae species dein iterum ut prius decoquuntur, ex qua decoctione oritur decoctum secundum. Aeger babit quotidie mane et vesperi libram semis calidi decocti primi, extra illud tempus autem libram unam decocti secundi; mane dum aeger calidum sumit decoctum in lecto se contineat, bene coopertus, donec large prorumpens sudor cessaverit. quo finito corpus panno laneo fricando abstergitur, et indusum puro sicco permutatur. Omni quarta die porrigitur aegro purgans e 30—50 granis Massae pil. laxant. aut catarrhalis purg. Ph. Dan., quo semper cyclus unus curae finitur; post tales cyclos 10—20 omne vestigium morbi disparuit Rarius coniunxit hanc diaetam cum cura mercuriali. Actio huius curae per abstinentiam non est quidem tam intensa, quam ea sequentis, hinc non raro insufficiens esset, nisi medicamentis adiuvaretur; id tamen boni habet, quod absque periculo per octo imo duodecim septimanas protrahi possit.— Dum curam per abstinentiam adhibet, quamvis nulla peculiaris praeparatio recte necessaria sit, nihilominus tamen ad munditiem cutis obtinendam aegrum ante omnia balneo tepido imponebit. Cura ipsa incipitur cum quinque pilulis granorum duorum, ex dr. duabus extr. cicutae; dr. semis saponis medicati et suf. qte pulveris herbae cicutae formatis, quas aeger mane sexta hora accipit, desuper bibit poculum unum aut duo decocti rad. chinae concentrati; aut e sequentibus speciebus parati:

Rp. Rad. sasaparillae,

— chiae mund. aa Unc. tres

Fol. sennae Unc. duas

Rad. liquir. Unc. unam.

Misce f. species.

ex his speciebus unciae sex cum libris duodecim aquae ad dimidii consumtionem coquuntur; — nona hora pri-

mum accipit nutrimentum ex unciis duabus panis albi antiqui, et totidem carnis vitulinae macrae coctae non amplius calidae. Ubi caro vitulina haberi nequit, et bubula aut ovilla, dummodo macra sit, substitui potest. Postmeridiana hora quarta aequalem iterum accipit portionem; vesperi nona hora sumit iterum pilulas quinque et aequalem quantitatem decocti ac mane. Si aeger ita placeret, cibi de die absumendi et in tres portiones subdividi possent, ita ut mane et vesperi singula vice unciam unam panis et totidem carnis, pro prandio vero uncias duas utriusque habeat. Saepe Struve initio curae adpetitui aegrorum indulxit et duplicem illis quantitatem nutrimentorum concessit, quam dein omni die una semi uncia ex pane et carne imminuit, ita ut aeger quinta die ad secus adhibitam quantitatem unciarum quatuor panis et carnis reductus fuerit; quod utique id boni habet, quod aeger per successivam istam subtractionem ad sufferendam diaetam tenuem melius disponatur. De die ex decocto tantum bibit aeger quantum ad fallendam sitim et ad leniendum sensum famis requiritur. Tali modo cura producitur pro circumstan- tiarum ratione per quatuor, sex usque octo septimanas. Finita cura reconvalescens caute ad priorem suum vi- vendi modum reducitur. — Ulcera in aegris praesentia tantum aqua tepida, aut decocto cicutae cum aqua calcis misto mundat, nec quid aliud requiri asserit. Sub hac cura omnia illa symptomata, quae in sectione prima descripti, comparere possunt, hinc et omnes ibi adla- tae cautelae solertissime observari debent. — Est haec cura omnium efficacissima, in morbis inveteratis nulli medicamento cedentibus saepissime unicum auxilium; Struve eam imprimis in morbis syphiliticis et pseudo- syphiliticis ac in morbo Dithmarsico adhibuit, adfert tamen et casus aliorum morborum, in quibus illius effi- caciem expertus est.

Praeter has methodos principales adhuc aliquae in ephemericibus medicis promulgabantur, quae tamen vix in uno aliove aegro probatae erant, hinc eas, prout et notissimas illas curas antisyphiliticas Zittmanni, Sainte Mariei, Vigarouxi, Laffecteuri, et tractamen arabicum seu siccum, quae omnino huc pertinerent, secus arctos huius dissertationis limites transgressuri, missas facimus.

